

Franckesche Stiftungen zu Halle

Piam Ac Religiosam Natalis Domini Celebrationem Fridericianae Prorektor Philippvs Iacobvs Heisler Ivrvim Professor Pvblicvs Ordinarivs Vna Cvm ...

Heisler, Philipp Jakob

Halae Magdebvrgicae, MDCCLXII.

VD18 13087975

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-192365



Attingimus rursus Dei beneficio, inter durantes adhuc
 armorum strepitus, laetum illud tempus, quo ec-
 clesia antiquo laudabilique more natalem Domini
 nostri Iesu Christi solenni ritu celebrare consuevit.
 Officii itaque nostri omnino esse ducimus, ut vo-
 bis, *Cives carissimi*, ea in re praeceamus, quan-
 tumque in nobis est, exemplo, monitis, precibus in eo elaboremus,
 ut etiam vos instantes dies festos bene, religiose, atque ita transigatis,
 quemadmodum sapientiae vere studiosos atque amantes decet. Id
 quod tum demum fiet, si ingens illud summumque Dei beneficium,
 quo vniuersum genus humanum adfecit, filium in carnem mittendo,
 decenter cogitabitis, atque in eo toto animo occupati eritis, ut istam
 salutis viam ingrediamini, in qua dulces illius fructus vere et vnice per-
 cipi possunt. Cum vero usu receptum sit, ut publicae compellationi
 nostrae breuem argumenti alicuius, et quidem eiusmodi explicationem
 praemuniamus, quod cum iis, quae publice in ecclesia hoc tempore
 peraguntur, sacris coniunctum est, constituimus in praesenti de *illustri*
ac vetusta Christi nobilitate etiam secundum carnem, paucis disserere.

Occasionem vero huius argumenti deligendi ipsius optimi Seruatoris sermones de se ipso loquentis nobis praeberunt: id quod in principio statim monere consultum putamus, ne quis argumentum hoc a nobis tantum excogitatum, ac proinde curiosum magis, quam sacris litteris testatum atque vtile praecipiti iudicio statuatur, ac proinde nostram etiam de eo disputationem minus aptam et convenientem existimet.

Ipse scilicet Dominus de se ac rebus suis disserens, *homo nobilis* (ευγενής), inquit, *profectus est peregre in terram remotam, ut regnum occuparet, et tum reuerteretur.* (Luc. XVIII. 12.) Manifestum omnino exploratumque est, Dominum in hac oratione homini nobili se comparare, eoque ipso significare, adesse omnino illa sibi, tamquam homini, in quibus nobilitas inter homines poni solet. Cum vero duplex sit nobilitas, animi scilicet et generis, et haecquidem parum a prudentibus aestimetur sine illa, utramque quidem in Christo emnuisse, et plane insignem fuisse, certum est: nobis tamen in praesenti de generis nobilitate nataliumque splendore inprimis aliquid dicere propositum est; ad eam enim Dominum loco supra laudato quam maxime respicere non dubitamus.

Generis itaque nobilitas inter homines in eo poni solet, si quis ex huiusmodi parentibus vel maioribus natus est, qui virtute, praeclare factis, rebusque bene gestis, dignitatem sibi ac nomen pepererunt, ac proinde ab hominibus digni aestimati sunt, ut praeter reliqua virtutis praemia, titulis etiam ac nominibus splendidis, quibus aliis praestarent, insignirentur, et quidem ea simul conditione, ut tituli illi ac nomina, privilegiaque iis cohaerentia, etiam ad posteros eorum transirent, quo et hi virtutem maiorum praemiisque illius certo modo fruerentur, ad illam imitandam incitarentur, atque omni animi contentione in eo elaborarent, ut progenitoribus suis digni euaderent.

Pertinet itaque tota haec res ad externum ac fortuitum inter homines ordinum discrimen, quod Deus sapienti consilio inter eos ad salutem ipsorum esse voluit; cum de reliquo, consilio non minus sapienti natura omnes exaequauerit. Consideratio enim inaequalitatis externae ordinum, Dei voluntate ac lege nixae, humiliores atque inferiores in officio continere debet, ne consideratione aequalitatis naturalis abutantur ad contemptum superiorum, denegandumque honorem illis debitum.

bitum. Consideratio vero aequalitatis naturalis potentia, opibus, dignitate, genere ac titulis praestantes impellere debet, ne consideratione inaequalitatis externae atque aduentitiae, ad fastum, contemptum et oppressionem humiliorum et inferiorum abutantur. Hinc si iis cor vere sapit, carne non gloriabuntur; ut taceamus, in Christo etiam omnes exaequatos, nec quod ad eius et beneficia et cultum attinet, discrimen aliquod valere. (cf. Eph. VI. 5. Colos. III. 22. Iobi XXXI. 13. Malach. II. 10.) Quo antiquior vero etiam, et a nostris temporibus remotior primus nobilitatis auctor est, a quo quis genus ducit, qui cum sibi tum etiam posteris illam meruit, et quo plures proinde successiones numerantur, per quas a maioribus traditur, eo pluris quoque inter homines aestimari solet. Ex eo fieri consuevit, ut modo antiquae nobilitati ad certas dignitates et commoda aditus pateat, reliquis vero, qui eandem originis suae vetustatem probare non possunt, praeclusus sit; fit porro ex eo, ut mortales antiquitatem generis sui ac nobilitatis solliciti et operose probare laborent. Hinc tot generum ac stemmatum tabulae, hinc improbus ille labor in illis conficiendis, probandis, et haud raro etiam interpolandis, exhaustus.

Quae omnia si ad Christum secundum carnem consideratum transferamus, facile apparebit, eum etiam generis et splendore et antiquitate nemini mortalium secundum, sed potius etiam hac in re aduenticia licet, minimeque praecipua, imo leuioris omnino momenti, si reliquis in eo exstantibus comparetur, longe superiorem fuisse. Quod ut constet, sequentia breuiter obseruare sufficiet. Primo itaque Dominus noster secundum carnem vere nobilis fuit, quoniam secundum illam a Principibus viris ortus est, qui virtute, recte factis ac pietate maxime id consecuti sunt, ut tamquam optime de aliis meriti et ipsi nobiles et etiam digni haberentur, quorum posteritas nobilitaretur, et in honore esset. Numerat enim inter maiores suos, ne longius regrediamur, Abrahamum, quantum quaeso ac principem virum, alienis non minus quam suis venerabilem, multorumque gentium ac regum etiam parentem: numerat maxime Dauidem, qui regia dignitate, quam primo singulari beneficio diuino consecutus erat, postea virtute rebusque praeclare gestis dignum se praestitit, illi suffecit, eamque etiam in domum ac familiam suam intulit. Ab hoc itaque regni Israelitici primario statore Dominus secundum carnem genus ducit, et quidem ita ducit, ut certa penitus ac plane explorata huius originis fides

fit. Docent illud generis tabulae apud Matthaeum et Lucam, quorum ille Iosephi, hic Mariae matris virginis genus exhibet; de quarum tabularum indubitata fide et auctoritate, quod ad caput rei attinet, plane constat. Primo enim maximam partem ex diuinis V. T. monumentis confectae sunt, ex quibus id primum apparet, quam sollicite ac diligenter a Deo curatum sit, ut tribus, in quas populus Israeliticus diuisus erat, distinctae manerent, quo certo constaret, ex qua quisque tribu ortus esset. Et cum tribus ex variis multisque familiis constarent, non minus diligenter per confectas conseruatasque generis tabulas prouisum est, ut ex qua quisque familia natus esset, constare posset: id quod praecipue in principibus familiis, maxime vero Dauidis regis gente factum esse, non solum veri per se simile, sed etiam ex clarissimis indiciis plane certum atque extra omnem dubitationem positum est.

Operae pretium omnino erit, aliqua diligentiae huius indicia in prophetarum scriptis obuia obseruare, eo notabiliora, quoniam illorum fides ac veritas per ipsum spiritum Dei prophetas inhabitantem, ac per eos loquentem, confirmata est. Sic ex Iesai. VII. 1. 2. constat, cum foederati reges Syriae ac Samariae Hierosolymae obsidionem minarentur, non solum Achasum regem eiusque familiam, sed totam Dauidis domum hoc nuncio vehementer consternatam esse: quoniam reges illi non solum in familiae regiae a Solomone propagatae, sed totius gentis Dauidicae perniciem et interitum conspirauerant, illud quippe agentes, ne quisquam superesset posthac, qui haereditatis iure, tamquam a Dauide ortus, regnum, quod ipsi appetebant, sibi vindicare posset; qua ex re satis apparet, de tota Dauidis gente omnibusque ex illa natis illo quidem tempore satis accurate constitisse. Si ad tempora post captiuitatem babylonica paucis modo seculis a Christi ortu remotis progredimur, clarum nobis planeque memorabile indicium Zachar. XII. 12. occurrit, ex quo liquet, quam accurate etiam illo tempore non solum de vniuersa Dauidis gente, sed inprimis etiam de familia Nathanis constiterit, qui vnus ex Dauidis filiis et quidem ille ipse erat, ex cuius posteris Maria mater Domini, ac proinde ipse Dominus natus est, prout id generis tabula Luc. III. 31. clarissime docet. Eo vsque igitur prophetarum diuinitus adflatorum atque edoctorum auctoritate ac fide de gente Dauidis, familiisque in quas diuisa erat variis, ortisque ex iis satis constabat. Maiores Iosephi ac Mariae

riae

riae reliqui, per quos post illa tempora genus Davidis propagatum est, atque in generis tabulis apud Matthaeum et Lucam nominati, auctoritate quidem prophetica non ita sunt confirmati; interim tamen satis certi, ut nulla plane iusta de veritate originis illorum dubitandi ratio superfit. Ut enim taceamus per temporis longitudinem, cum a Zacharia usque ad Christi aetatem non integri quingenti anni elapsi sint, facilius adhuc fieri potuisse, ut certior rerum gestarum memoria conservaretur, et successio iusta hominum in familiis, illustribus praesertim, cuiusmodi Davidis omnino inter Iudaeos erat, accuratius notaretur; accedebat etiam in Davidica familia singulare aliquid, quod non solum ipsius huius familiae, verum etiam totius populi sollicitudinem et diligentiam, ad accurate notandam Davidicae gentis propagationem excitare, non solum poterat ac debebat, sed etiam re vera excitabat. Toti enim populo Messias s. Christus erat promissus, tamquam rex ac salutis felicitatisque auctor; hunc vero ipsum ex nulla alia quam Davidis gente nasci, ac proinde filium Davidis naturalem ac verum plane esse oportebat. Intererat itaque non solum stirpis Davidicae, sed totius omnino populi, id sollicite omnique adhibita diligentia cauere, ne propagatio gentis Davidicae, hominumque ex illa prognatorum origo, vlla ratione incerta ac dubia redderetur. Nec dubitandum est, factum id etiam ac prouisum in hac re esse, quod fieri oportebat; si cogitemus quanta semper fuerit in populo Iudaico ac manserit Messiae expectatio, quantaque rerum temporumque meliorum posita in illo spes ac fiducia. Quae si recte et attente ponderentur, non est quod dubitetur, fidem certam tabulis illis apud Matthaeum et Lucam, etiam quod ad tempora babyloniam captiuitatem consecuta attinet, plane constare, ac proinde certissimum ex iis esse et ad plenam fidem demonstrari, Iesum Dominum nostrum ex illustri ac regia Davidis stirpe genus duxisse. Quod quam certum exploratumque etiam apud Iudaeos fuerit, etiam ex eo liquet, quod illa qua Dominus in terris egit, aetate, inter tot atrocissimas calumnias falsaue crimina in illum ab hostibus collata, nemini tamen illorum in mentem venit, originem illius veram a Dauide in dubium vocare; quod certissimo indicio est, illos vel de hac calumnia plane non cogitasse, vel si cogitauerint, in medium proferre ansos non esse, quin potius id plane persuasum habuisse, neminem aequo animo laturum, si rem adeo apertam indubitari-que totius populi monumentis testatam oppugnare in animum inducere vellent.

Manet

Manet ergo, Dominum nostrum certissime ex Dauidis, ac proinde etiam Abrahami illustri ac generosa stirpe ortum esse, atque adeo etiam secundum carnem genere vere nobilem existisse.

Duo vero adhuc circa generis tabulas apud Matthaeum et Lucam observare breuiter iuuabit. Primo notum satis est, eas non plane omni difficultate carere, si cum tabulis V. T. conferantur, Iudaeosque hodiernos inde diuinam N. T. auctoritatem criminandi occasionem arripere. Sed salua res est. Matthaeus et Lucas tabulas illas ex monumentis inter Iudaeos tum satis notis, et quod ad summam rei attinet, plane certis ac probatis in libros suos transtulerunt. Hinc etiam opus non erat, vt difficultates, vel vitia in illis occurrentia aut expedirent aut notarent et corrigerent, cum in capite rei quod ex iis probandum habebant, nihil plane vitii aut iustae dubitationis inesse, illo tempore satis constaret. Ex quo etiam factum est, vt euangelistae illo tempore exprobrationem vitii aut falsi nec veriti nec experti sint. Deinde mirum cuiquam videri posset, cur Matthaeus tam operose genus etiam Iosephi a Dauide ductum probet, quo labore tamen superfedere potuisse videatur, cum Iesus nec eum nec alium virum satorem habuerit, aut habere debuerit. Sed desinet mirari qui cogitauerit, sicut alias primarias doctrinae reuelatae de Messia partes, ita hanc etiam de ortu illius ex virgine plane intacta, inter Iudaeos illius temporis valde obscuratam, et ignotam factam fuisse, ac proinde plurimos credidisse, Iosephum naturalem Domini parentem esse. Propter hos itaque Iosephum etiam a Dauide genus ducere, eatenus probandum erat, vt iis, quoad in illo errore versabantur, id tamen nihilo minus constaret, Iesum a Dauide ortum, nec causam esse, cur eum Christum esse inficiarentur, quoniam Dauidis filius per parentem non esset.

Progrediamur nunc etiam ad alterum supra expositum, demonstraturi scilicet antiquitatem quoque nobilitatis Domini nostri aequae singularem ac certam, imo longe maiorem certioreque, quam vilius gentium augustarum, principalium, ac nobilium, quae aut hodie florent, aut vnquam et vsquam floruerunt. Fidenter adfirmare, historiae auctoritate et fide nitentes non dubitamus, nullam hodie gentem augustam et nobilem esse aut fuisse, quae originem nobilitatis suae augustumque natalium splendorem per mille retro annos nedum longius, certa cum fide et ex veris genuinisque monumentis, a certo aliquo illustri auctore repetere queat. Nulla sane augusta aut illustris Europa

ropae

ropae domus ac familia id v. g. vel a Caroli Magni modo temporibus certo praestare valet. Licet enim non defuerint, qui tale quid tentare interdum ausi sunt, non defuerunt tamen etiam, qui clarissime demonstrarunt, quam incerta, lubrica et ad fidem faciendam plane non idonea cuncta illa sint, quae vel diligentia nonnullorum vel assentandi lubido conquisiuit et commenta est. Et quis adfirmare ausit, tantam sequentibus temporibus historiae lucem certamque fidem fore, ut gentibus illustribus facilius futurum sit, origines suas successionesque per mille, ne dum plures annos certius et plane ad fidem probare ac persuadere. Forte diuina prouidentia, cuius consilia nulla humana prouidentia, diligentia, ac consilium eludere valet, id in posterum quoque impediet; quo homines eo minus in animum inducant carne gloriari, si modo vere sapientes esse et videri velint. At Domini nostri augusta origo nobilitasque secundum carnem, certa fide certisque monumentis ac testimoniis, non tantum per mille sed fere per bis mille retro annos satis probata confirmataque est, etiam si modo ab Abrahamo incipiamus; gentis itaque certa ac nobilitatis antiquitate etiam omnibus aliis praestat, atque etiam hac in re, fortuita licet, illud obtinet, quod apostolus ait, eum in omnibus principatum tenere.

Inter mortales generis nobilitas animo per se nobilitatem non adfert, ut haec illi semper coniuncta sit: Imo inter illos ipsorum vitio ac culpa, et quoniam ipsi securi ac negligentes officii, famae virtutisque alienae incumbere amant, haud adeo infrequenter accidere solet, ut turpitudine animi ac vitae, sicut ingenii ita etiam splendoris natalium commendationem euertat. Quod si fit, vere conuenit in tales quod poeta canit,

*Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramque facem praeserre pudendis.
Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet; quanto maior qui peccat habetur.*

Iuuenalis Sat. 8. v. 138 cet.

Nasci enim a principibus fortuitum est, nec ultra aestimatur, praeclare iudicat Tacitus vel potius Galba apud eum ipse princeps: (Hist. L. I. c. 16.) nec aliter sentit poeta, scribens:

*Genus et proauos et quae non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.*

Quidius Metamorph. l. XIII. v. 140.

B

In

In Domino vero nostro praeter generis nobilitatem, singularis quoque ac diuina animi nobilitas eminuit, quam natura iam insitam, studio deinde ac diligentia tuitus est ipse atque auxit, graciosus ideo apud Deum iuxta atque homines. Quae omnia eo pertinent, ut appareat, quam commendatus nobis etiam ex hac parte Dominus noster esse debeat, qui generis nobilitatem animi virtutisque praestantia et ornauit et vicit.

Merito vero a nobis postulatur, ut etiam doceamus, quid tota haec res, institutaque de illa disputatio utilitatis habeat, et quid ex illa discendum faciendumque habeamus. Primo igitur id omnino tenendum est, hanc quam explicauimus generis nobilitatem inter illa non esse, quae Dominus praecipue ac primo in se ipso spectauit, aut spectari voluit. Tota enim res in hominum magis opinione ponitur, quam ut aliquid veri ac solidi in se habeat. Pertinet itaque cognitio huius rei tantum ad cognitionem Christi secundum carnem, qua per se et si sola sit, neminem seruari apostolus docet 2. Cor. V. Id potius rem causamque in Christo maxime continet, ut vere cognoscamus et ex animo credamus, Iesum pro omnibus esse mortuum, et ideo pro omnibus mortuum, ut qui viuunt non amplius sibi ipsis uiuant, sed illi, qui pro ipsis mortuus est, et a mortuis resurrexit. Hinc ipse Dominus, non nisi raro et peculiari ratione id exigente, generis sui nobilitatem tetigit; tetigit tamen interdum et paullo etiam ante mortem, Pilato, an tamen omnino rex esset, respondens, esse se omnino regem, atque ad id natum et in mundum venisse. Licet itaque non maxime aut praecipue nostra intersit, haec nosse nobisque proponere, interest tamen aliquid, suamque utilitatem habere debet; cum nihil in Domino nostro insit aut ab eo factum sit, quod non ad nos referatur. Hinc etiam quae parua videntur, atque etiam re vera sunt aliis ac maioribus comparata, negligenda tamen non plane a nobis sunt, sed suo loco ac tempore pie meditanda, quo fructum etiam in iis reconditum percipiamus. Totus enim Christus, et quidquid scriptura de illo nobis tradit, frugi est. Primo itaque apparet ex iis, quae de nobilitate Domini secundum carnem diximus, quam praepostere et indigne illi olim iam hanc ob causam egerint, qui eum tamquam hominem vulgarem, qui faber et fabri filius modo esset, repudiabant et audire nolebant, nobilem illius originem imo regiam, satis tamen ipsis notam exploratamque, minime cogitantes; cuius tamen reputatio ipsos ab huiusmodi contemptu, ex aliis etiam causis plane indigno et absurdo,

do,

do, eo magis reuocare debuisset. Non insolitum est inter mortales, qui iam vanis imaginibus magis quam vera ac solida virtutis effigie ducuntur, ut genere ac dignitate praestantes alios his inferiores contemnant et vix homines prae se putent; id quod poeta vetus suo etiam tempore notauit, hunc in modum canens,

*Vos humiles, inquit, vulgi pars ultima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis:
Ast ego Cecropides.*

Quod si etiam ad Christum transferunt, eo perniciosius est. Ps. II. r. Liqueat vero ex dictis, cur etiam hoc respectu non sit, quod potentes et illustres Christi pudeat, cum etiam generis nobilitate augustoque splendore nullo illorum inferior sed omnibus longe superior sit. Eo magis ergo attendi oportet ab iis compellationem, *Nunc itaque o reges sapite, erudimini iudices terrae; seruite Domino cum timore, exultate cum tremore; exosculamini filium, ne irascatur, et pereatis in via; nam breui ira illius exardescet; beati vero confugientes ad ipsum.* Ps. II. Apoc. VI. 15. cet.

Deinde nobilitas generis Domini nostri indicio etiam est et esse debuit, esse eum quoque Seruatorem potentium et illustrium, illos saluos velle, fierique omnino posse, ut aequae atque alii per illum salui fiant, culpamque proinde non in Domino sed in hominibus esse, si pauci potentes et illustri loco nati aut aliis nominibus secundum carnem praestantes salutem consequuntur. hinc euangelium magnis iuxta ac paruis nuntiatur, (Act. XXVI.) spectaturque mortales non quatenus secundum carnem variis modis inter illos interest, sed quatenus respectu status naturalis ac spiritualis, pares omnes et eodem loco sunt, homines scilicet ac peccatores, omnes rei ac plane corrupti, atque a prima sui origine ad primarios ultimosque Dei fines consequendos plane iam inepti. Sic ergo Deus per euangelium omnes sub peccatum conclusit infimos iuxta atque summos, ut omnium misereatur. Ut enim in Adamo, vnico peccati, culpae ac poenae auctore, ita etiam in Christo salutis, iustitiae et vitae auctore vnico iam nihil interest inter virum et feminam, seruum ac liberum, graecum et barbarum.

Sicut vero Dominus, cum respectu humanae naturae in forma Dei propter personale vtriusque naturae vinculum semper existeret, nihilominus tamen rapinae instar non duxit parem esse Deo, ac proinde excellentia diuinæ naturae cum humana quoque communicata non festinanter et cupide usus est, sed potius usum illius plenum et

apertum deposuit; sic etiam pari modo iura nobilitatis augustaeque domus sane secundum carnem illorumque usum abnegavit Dominus nostra causa, et ita habuit ac possedit quasi non haberet, minime vitus ludibria ac contumelias, quibus etiam ob augusti ortus, iuris ac regni professionem adiciebatur. Sicuti igitur Dominus, cum dives esset, pauperem tamen egit, quo nos paupertate sua ditaret; ita simili ratione, cum nobilis esset, humilem tamen et ignobilem egit, quo nos humilitate sua nobilitaret, et quidem ea nobilitate, quae vera ac solida, et in eo posita est, si quis ex Spiritu nascitur, ac Spiritus rursus, Deique vere similis, et per Christum iuris filiorum particeps efficitur. (Io. I. III.)

Obseruare vero etiam adhuc iuuat, factum esse diuino nutu, ut regia Davidis stirps, de cuius conseruatione ac certa illius propagine Iesu Nazareno, alioqui satis constabat, omnem tamen regum splendorem per longissimi retro temporis interuallum amiserit, nihilque pristinae opulentiae ac potentiae retinuerit. Stabat itaque quidem stirps illa regia, sed quasi

magni nominis umbra.

*Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuias veteres populi sacrataque gestans
Dona ducum, nec iam validis radicibus haerens,
Pondere fixa suo est, nudosque per aëra ramos
Effundens, trunco, non frondibus efficit umbram.*

Hinc status Dauidicae stirpis illo quo Iesus ex ea natus est tempore, tempore, statui arboris succisae comparatur, quae trunco tantum ac radicibus adhuc terrae haeret, ex quibus noua propago reuirescit: (Ies. XI. 1.) ipse vero Iesus omni externo debitoque generis regii splendore ac dignitate orbatus suaeque voluntate carens, surculus vocatur et radix ex terra arida; cui nec species nec decor erat. (Ies. LIII. 2.) Quae omnia fieri eo quo facta sunt pacto oportebat, ut primo Deus omni carnali gloriationi obuiam iret, illustrique ipsius filii incarnati exemplo ostenderet, non eligere se ac probare, nisi quod omnem fiduciam carnis abiicit, nec illius excellentia sed solo Domino gloriatur. (Ierem. VIII. 23., 1. Cor. I. 26.) Deinde apparebat quoque ex eo, Dominum nostrum nobilitatem virtutesque animi plane insignes, peragendorumque maximorum operum facultatem, non generi et origini suae secundum carnem, sed sibi ipsi ac Spiritui Dei, qui huma-

humanam illius naturam formauerat et instruxerat, vnice debere. (Iesai. XI. 1. LXI. 1.) Quod etiam Dominus illo, quem tetigimus, familiae Dauidicae statu ex ea natus est, indicio erat, familiam illam ipsam mox in eum statum redactum iri, vt obscurum imo plane ignotum futurum sit, an aliqui adhuc ex illa supersint, et quinam illi sint. Id quod etiam non adeo longo tempore post per excidium Hierosolymae, coniunctamque cum illo totius populi Iudaici strage, dispersione et confusione tribuum ac familiarum factum esse constat. Per haec enim fata admodum funesta res eo venit, vt nemo Iudaeorum, breui iam tempore post, nedum hodie sciat aut scire possit, ex qua tribu, multo minus vero ex qua illius familia quisque ortus sit: vanam enim et stolidam illorum Iudaeorum iactantiam non moramur, qui alto Dauidis stemmate tument, eoque quasi parente nec quidquam pleni et inflati sunt. Quod notare omnino operae pretium est, quoniam etiam vel ex eo apparet, quam vana et inanis Iudaeorum spes sit, Iesu nostro repudiato alium adhuc exspectantium, cum omnis notitia gentis Dauidicae, ex qua tamen Christum natum esse plane constare debebat, iam dudum penitus sublata, ac proinde eo etiam satis probatum sit, Christum iam dudum venisse oportere.

Verum sufficiant haec in praesenti. Conuertimur itaque iam ad vos, *Ciues carissimi*, quorum causa maxime haec meditati sumus ac scripsimus. Vestra itaque interest, haec et omnia illa pie et attente cogitare ac ponderare, quae instantibus his diebus vobis nunciantur, quorumque summa et caput est rem causamque maxime continens, Christum Iesum in mundum venisse ad peccatorum salutem. Quanta itaque mala nostra sint, quanta vniuersi humani generis perniciēs et miseria, ex magnitudine et natura remedii apparet, quod illis opponi oportebat. Quam incomprehensibilis porro est amor Dei, qui filio suo proprio non pepercit, vt nobis parcere et condonare posset; qui eum pro nobis tradidit, vt nos sibi rursus vindicaret; qui nobis illum donauit, vt noster esset, quo appareret, se paratum esse, nobis omnia cum illo donare. Duabus itaque maxime rebus officium nostrum continetur. Primum est, vt Paulo praeunte quilibet non solum peccatorem se, sed praecipuum ex peccatoribus vere agnoscat ac sentiat, sibi-que eam ob causam penitus displiceat. Malo enim ignoto et non decenter curato, nullum genuinum remedii desiderium esse potest, nullum illius quod meretur, apud nos pretium. Deum ergo in tanta

mentis humanae coecitate supplices veneramini, ut vobis oculos aperiat ad perspiciendam sentiendamque miseriam vestram; tum enim alterius quoque quod officii nostri est, necessitas et praestantia vobis apparebit, in eo positi, ut ad Christum accedatis tanquam vnicum salutis auctorem, eamque ab illo petatis et accipiat. Omni vero cum fiducia id iam facere nobis licet, cum quanto in nos amore flagret, et quam cupidus salutis nostrae sit, ipso aduentu in carnem abunde probauerit. Haec ergo agite his diebus, *Ciues carissimi*, imo haec sit et maneat princeps vestra occupatio per omnem vitam, Christum lucrari et in eo inueniri. Id enim est vere sapere: nam qui filium Dei habet, habet vitam; qui filium Dei non habet, vitam quoque non habet. Haec ergo scribimus vobis hoc tempore, haec vos audire, ac meditari, haec agere, hoc tempore volumus, ut credatis in nomen filii Dei, quo vitam et salutem in illo consequamini. Tandem vero coniungamus etiam cum horum dierum religione vota pro pace ac salute publica, dubia adhuc variisque modis laborante. Et cum insigni divino beneficio parti Germaniae alma pax reddita sit, ut vniuersae mox contingat Deum pacis in nomine Domini pacis piis precibus oremus; qui certe etiam exorari se patietur, si pacem cum ipso in Christo proxima admodum voluntate oblatam accipiemus. Tum vero accipiemus, si conditiones pacis illius, aequissimas sane, non aspernabimur, sed gratas acceptasque habebimus.



P. P. in Regia Fridericiana pridie natalis Domini *MDCCCLXII*.

